

34

SERENISSIMUS

E

MONTE STRIGONIENSI

PACIS PRINCEPS

SEU

D. STEPHANUS

PRIMUS HUNGARIÆ REX

IN

ANTIQUISSIMO

SEMINARIO SIBI SACRO

CORAM

VENERABILIS ARCHI-CAPITULI STRIGONIENSIS

CONSESSU

ORATIONE PANEGYRICA

EXHIBITUS

A

Reverendo Domino MATHIA CHMEL,

AA. LL. & Philosophiæ Baccalureo ejusdem in
2dum Annum Auditore dicti Seminarij

Alumno. 20 Aug. Anno 1729.

TYRNAVIÆ Typis Academicis per Fridericum Gall.



ORATIO.



Lncredibile est, quomodo perhorrescam. *Illustrissimi, ac Reverendissimi Venerabilis Archi-Capituli Strigoniensis P. P. nec non Stephanae hujus Domus Praesides Sapientissimi, Admodum Reverendi Domini, ceterique AA. ornatissimi.* Quemadmodum enim in omnibus, si quæ sunt, exercitationibus meis infortunatum earundem cursum atque finem nunquam non pertimui; ita hodie vehementer metuo, nè, ut majoris momenti, quam unquam, & supra meam dicendi facultatem laborem suscipio; ita gravius in limine statim dictionis meæ offendam, nè ante, quam oporteret manum de tabula cum Vestra etiam mei confusione movere cogar. Et profecto est, cur commovear. Novi namque ingenij mei tenuitatem, infirmas in dicendo vires novi, quas nequæ mea apud Vos autoritas, utpote quæ nulla est, roborare; nequæ locus ipse ita juvare potest, ut satis idoneas ad id; quod dicere ingredior liceat opinari. Quæ quidem res tantò majori me formidine afficit, quantò nobiliores non eruditio ne solùm, verùm autoritate etiam, magnò ad persuadendum argumentò, Oratores hoc ipso in loco facundissimè quotannis dixisse intelligo. Unde futurum certè fuisset, ut provinciæ huic humeros subtraherem, nisi tamen talis mihi causa oblata fuisset, in qua oratio nemini, nè infantissimo quidem deesse potest: dicendum enim est de singularium S. Regis STEPHANI virtutum magnitudine & excellentia.

Vel

Vellem ego AA. Majorum nostrorum tanta omnium fuisset fortitudo & innocentia, ut non levem in eo difficultatem pateremur posteris, quem nam potissimum aliis præstitisse; cujus virtutes ita eluxisse dijudicemus, ut sola illius nominis memoria exteris metum incusserit, domesticis pulcherrimum gloriæ decus, orbi admirationem & invidiam pepererit universo. Sic conferendo singulorum cum STEPHANI virtutes hinc se mea occuparet eoque oratio, donec Eum, quem Regem primum salutavit Hungaria, omni vetustate ostenderet superiorem. Nunc verò, quoniam unum S. STEPHANUM eum fuisse fide historica accipiamus, qui non modò eorum Principum, qui modò sunt, gloriam, verum etiam totius antiquitatis memoriam virtute facile superaret, adeoque nihil sit, quod cujusquam animum de summis Ei laudibus tribuendis dubium facere possit, quid ex omnibus (si enim singula, quæ STEPHANUM in terris homine majorem fecerant, enarrare vellem, vox citius, quàm dicenda deficerent) quid inquam ex omnibus maximè mihi commendandum videatur, eloquendum est.

Quapropter nè ego, cum omnes propemodum ante hac oratores virtutum STEPHANÆARUM copia & æplitudine confisi non generatim (ut ajunt) in laudes ejus excurrerunt, sed magnis quibusdam nominibus dignissimum non contemnendam certè operam probarent: dum alij orbis afflicti Æsculapium; alij Regum Jdæam; Hungariæ Atlantem & Herculem alij; isti nominis naturam scrutati Augustissimam ejusdem Coronam; hi Romanæ Fidei Assertorem; illi Propugnatorem; alij denique Patrem Patriæ; Principem Apostolorum esse alij cum laude demonstrarunt, ne inquam & ego ab hac tantorum unus recedam consuetudine, in eo totam se mea consumet oratio, quò pro meis viribus, si non pro STEPHANI meritis, bonis omnibus luculentum faciam: Eum serenissimum Pacis Principem fuisse. Quod dum rudi atque impolito sermone expediam Vos Illustrissimi ac Reverendissimi Præules cæterique AA. ornatissimi eam, quæ soletis benevolentiam orantem sustinete.

Atque ut firmiorem apud Vos fidem mea mereatur oratio, qualem se STEPHANUS jam in vitæ exordio suæ olim Hungariæ exhibuerit, videte. Næ Ille primo eo ætatis tempore, quod alij ludicris, vanis, cæterisque, quas ætas hæc secumfert rebus impendere solent, jam tum in flore adhuc magnum quiddam polliceri

visusest: dum summò præter cætera in id incumberebat studiò, ut optimis quibûsque disciplinis potiorem nostrî partem animum daret, atque imbueret. Parùm quippe Illi erat generoso nasci sanguine, parùm sociorum (si quos per morum sanctimoniam habuit) non accessisse communioni, parùm omnia, quibus juvenus teneri solenne habet magnò sanè futuræ sanctitatis indicidò sprevisse, quid multa? parùm ad rem suam atque institutum rara licet fortunæ dona factura existimabat, nisi ea varijs ijsque pulcherrimis virtutibus exornâset. Et tantus hic Ejus discendi ardor nè remitteret, Illustrissimum illud Ecclesiæ Bohemicæ Sydus S. Adalbertum secutus, ità illuminatus ab eo est, ut jam abundantissimo Divinæ planè instructionis æstu in publicum raperetur, ac paternæ aulæ Oratorem indutus coacto populo palàm de ijs rebus, quæ tutas fortunas faciant, liberos cõservent, de ijs inquam rebus dicitaret, quæ mutua foveant animorum conjunctionem, rem quoquè publicam non modò à tristi atquè exitiosa convulsione custodiant, sed etiam roborent & ornent; felicia verbò fore omnia si DEUM colerent, pietatem amarent. Quæ enim dies abiit ubi Patrem non admonisset, succurreret miseris plecteret scelus, innocentiam tueretur? En tranquilli olim Principatûs argumenta, en Olivæ, futuri STEPHANO sceptri, surculos vivacissimos. At quò sine hæc actitâsse Juvenem sanctissimum putatis? eo utiquè ut populum Hungaricum, quem sibi proximè commissum iri ex Patre didicerat, quem hic partim precariò; partim officijs; partim præmjijs; partim vi & vix ità quidem ad agnoscendam Fidei veritatem movere potuerat, eum STEPHANUS vel virtute in partes suas inclinaret & alliceret. Et verò inclinavit. Vix enim Pater exhaustam curis militaribus ætatem queri apud populum, vix Hungarico Nomini, eò quòd victorijs quidem clarum & potens audiret, hospes tamen illis locis esset, periculum à circumfusis gentibus imminere, vix imperium, quòd à Majoribus partum & amplificatum accepissent conservandū oportere, vix nominare STEPHANUM, eumque ad capeffenda regni insignia accomadatum esse, vix inquam hæc de regni successo re anxius Geyfa, illico omnis, qui præsto erat, Procerum Senatus, populûsque Hungaricus ejus subscribunt sententiæ, & STEPHANO, quem ante Ducem, quàm Pater vellet, sibi petere non audebant, STEPHANO in quàm, quem non tam ætas, quàm optima indoles quàm virtus præstantissima regno maturum fecit, prom-

ptas

ptas voluntates, æterna obsequia, summam Reipublicæ de-
ferunt, ac festivos inter applausus ad solium elato Regiam decer-
nunt potestatem. Tantum nimirum virtutum STEPHANÆARUM si-
bi apud Hungaros meruit excellentia, ut aut nihili, aut parvi certè
duxerint, si eum communi Ducum suorum insignirent titulò, ideò-
que non jam Ducali (si ità loqui licet) verùm Regii nominis am-
plitudine honorârunt. Nec inconsultè. Præclarè enim præfagien-
tibus animis noverant eum fore STEPHANUM, qui non solùm avi-
tam gloriam avitis insistendo vestigijs contra oblivionem, omnem
rei Hungaricæ majestatem contra hostium impetus defensurus es-
set, sed etiam quâ bello (si qua bello est pietas) quâ Pace cu-
mulatissimè aucturus.

Neque vana erat eorum præfagitio, siquidem nihil plus, nihil in
amoribus magis erat STEPHANO, ac optatissima tràquillitate om-
nia gubernare. Et meritò: quid enim boni superi! Pace utilius,
quid optabilius, quid ditius esse potest? plenis se nimirum infun-
dant alveis commixtæ cum Arimaspi, cum Pactoli thesauro Cræ-
si divitiæ, his Pax ditior; convehant in unum Hebrus & Tagus,
imò Hermus & Ganges arenosas opes, his Pax pretiosior; urbi-
bus accedant urbes, regnis addantur regna, tangat (si fabulis fi-
des) Midas atque in aurum commutet omnia, his Pacem esse
superiorem, esse optabilem magis quis dubitet? ego quidem mini-
mè. Quid Vobis videtur AA? ponite ob oculos amœnissimam Pa-
cis speciem, pretium ejus perpendite: tum enim verò mihi acce-
detis. Voracissimum illa cordium vermem & vitæ prædatricem sol-
licitudinem pellit, ornat hortos, agrorum sterilitatem, frugum
inopiam, annonæ caritatem invisas naturæ rationali hospites in
extremam usque Thulen, in Plutonis imperium ablegat: excolit
mentes, replet urbes, & ædificat, exterminat odia, serit amicitias,
jungit fœdera, homines Angelis, regna Cælis, orbem Paradiso
permutat: opes auget, auctas tutò possidere facit. Et quin faciat?
dum quamdiu terras habitat, tam diu vastitas ab urbibus, cædes,
rapinæque à patria longissimè absunt, verbò nemo unus perditis-
simorum hominum est, qui civium bona apertè invadere ausit &
populari. Adèd Pacis tempore strictis legum vinculis impietas te-
neri solet. Testimonium petitis? testem ego hic Vobis sisto Hun-
gariam. Age igitur huc adesto Hungaria: totam te quanta quanta

es circumspice, partes & artus tuos vide, ornatum attende, vitam anteaquam recordare. Concisam, & horridam vulneribus faciem, lividas genas, evulsos oculos, corrosas crudelibus catenis (dum vinc̄ta hostium risus duceb̄are) & funibus manus, divulsos & fortè in tui vincula crines, infames tortore Vulcano tibi impressas notas, abscissa membra, illustrissimas tui ornamentum direptas abjectasque, nescio quo, gemmas & (quod unicum afflictæ dolorum lenimen, unicum ità deforme corpus honestare & condecorare deberet) conquassatum caput, temet tibi denique tantum non ereptam lamentaris. At quid te in miserum hunc statum conjecit? quis fortunæ tuæ rotam succussit? an Pax? minime. Hæc enim acceptorum olim vulnerum tibi nunc medicina est; nuncquid horribilis ille turbo & Pacis tempestas Martialis furor? annon ex armorum collisione excussa fulmina? ità sanè fateri debes. Siquidem dum Pacem colebas, tum à visu jucundissimo, quemadmodum & hodie, omnis ordinis populo incoleb̄are; at ut primùm in bellum exardescere placuit, quid nisi mœstitiæ, nisi doloris signa (quibus etsi optimè per hæc tempora Pax medeatur nondum tamen in cicatricem bene coeunt) misera reportasti, ô dulcem igitur Pacis memoriã! ô pretium inexplicabile!

Sed quid ego tributariam STEPHANO orationem ad Pacis encomia converti? bene habet. Nam hoc ipsum (si laudabilibus eum, cui hæc omnem sui laudem debent, summè commendari judicamus) non mediocre laudum STEPHANÆARUM est incrementum. Etenim, si Romana Respublica eloquentissimum illum Arpinatem magnis affectit laudibus, dum Patriæ Patrem appellavit, quòd sive de rostris ad populum, sive in senatu ad Patres verba fecisset, id unum ei curæ, unum contentioni esset, ut judicijs consistantium conciliaret animos, ruentibus in arma, sanguinem sitientibus, funera meditantibus, cædes ac vastitates spirantibus unius Tranquillitatis (quid enim notat aliud aureum illius effatum: *Pace nihil est optabilius*) conservandæ studiò obsisteret; si Athenæ Duci Timotheo, quòd finitimorū in se tumultū & seditionē cōpescēdo Tranquillitatem in Patriam inveheret, æternæ memoriæ laudem statuatam poluere; si Urbium Regina aspectabilem in throno adorabat Numam Pompiliū, quòd is, cum nullum retrò actis temporibus nisi bellicosissimum habuerit antecessorem, togam vestem, sceptrum ole-

oleam gestare elegerit, si inquam his Pacis propugnatoribus tantum decus & splendorem tantæ urbes decrevere, annon plurimum ad STEPHANI comendationem faciet, si eum non tantum Paci studuisse semper, quod quidem satis jam clarum videtur, verum etiam foecundissimam omnis boni Matrem Traquillitatem eo regnante dixero triumphasse?

Vestros hic primum animos in dulcissimam quæso temporis illius memoriam reflectite, quò Geysa integerrimam vitæ animam Creatori reddidit, ac Sanctissimum Filium, MARIANI subinde hujus Regni Parentem & Religionis Catholicæ Conditorem sapientissimum reliquit STEPHANUM, tum, quàm alta hîc quies, quàm amœna Tranquillitas universum Hungariæ orbem recrearit, non obscure profectò, neque extra magnam Vestri consolationem videbitis.

Eum, qui in omnibus tum privatis tum publicis muneribus justus & æquus est, qui superioribus obedientem se se exhibet; cui in loquendo mitem, in edendo temperatum, in sublevandis miseris frequentem, in bene faciendo assiduum, pium deniquè esse in omnes, vivere est, hunc, inquam talem justitiam, obedientiam, & pietatem amare, ut commune omnium sapientum pronunciatum est, ita verum adeò, ut si quis in contrariam abiret sententiam, nihil diversum sentire existimaretur ab eo, qui Maronem in Poësi, Apellem in pingendo, in philosophando Aristotelem vitam consumpsisse assereret, negaret nihilominus ab hoc Philosophiam, ab Apelle Pictoriam, Poëticam à Marone cultam fuisse. Si ergo justitiam amari ab eo, qui justus est tam manifestè Oratores concludimus, quid me jam dicere prohibet Pacem coluisse STEPHANUM, cujus vitam fuisse Pacificam multa probant? nolo ego hic repetita toties ab eo verba recitare, quibus persæpè ac præsertim humanis excessurus populum hortabatur: *Concordiam simul & Pacem amarent, cum finitimis quietè viverent* omitto nefarium illud (ut ut ignorantèr admissum ingrata erga liberalitatem rixantis mendicitatis facinus; dum Illi stipem sibi largè distribuenti potiores barbæ partem convulsit, qui tamen tantum aberat, ut istam vindicaret injuriam, ut etiam Magnæ Hugarorū Dominæ (itâ VIRGINEM STEPHANÆUM REGNUM compellabat) gratias proluxiores ageret; non commemoro, quò devictum contra

se

se insurgentem Gyulam avunculum, cum uxore & liberis, meritò supplicio non affecerit, verùm libertate donatos omni pœna clementissimè absolverit; illud immortalibus præconijs dignum ac portento simile solùm dico, quod STEPHANUM cum magna omnium etiam Trajanoram ac Porfenarum admiratione edidisse Hungariæ monumenta narrant: fuisse nimirum: ut è quatuor viris perfidis, qui ad pristinam Hungaros immanitatem Regis morte reducere impiè meditabantur, sceleratior unus Regium conclave sub vesperam ingrederetur; sed dum loco, ubi Rex decumberet, suspenso gradu appropinquat: ens quem chlamyde occulit, repentinus in terram casus prodit: mox fragore factò excitus Rex, quid hoc, inquit, strepitus? tum cognitò, quid actum sit, facti authorem adesse jubet. Quem putatis in hunc Judicem se exhibuit STEPHANUS? an Macedonem? qui Phylotam atquè Lyncestem Duces tametsi armis clarissimos, sed necis in Dominum cogitatæ antesignanos hastis confodi? an ut ille Parmenionem criminis ejusdem reum gladio pœnas dari? aut ejusdem exemplò in Calin sic dictum itidem ob conjurationem statutò, lapidibus obrui mandavit? horum nihil. Utrum cum Artaxerxe, qui filios, quòd vitam sibi cum regno eripere cogitarent, è medio sustulit, capitis eum pœnâ damnavit? num verò eundem in hoc secutus est, ut illum, quemadmodum hic fratrem suo Regis capiti insidiantem, in vincula compactum maccavit? minimè. Impar sceleri hæc pœna fuisset. Quid igitur illò fecit? admonitum nè ampliùs id tentaret liberum ac impunem dimisit. O planè Divinam clementiam! Credamne verò esse aliquem quin videat cordi ante omnia Pacem fuisse STEPHANO? quem non immoderata quadam indignatione, ut adversa faciunt, agitatum, sed quietum & pacificum præclara hæc facinora loquuntur.

X Et tu jam Patria, quin orbis Christiane proloquere. Lætaris, non ignoramus, sacras D. Benedicto ædes cum amplissima familiæ ejusdem domo, itémque alias petente magno solitudinis Religiosæ Patre Guthero erectas ædes: erexit STEPHANUS. Gandes in sinu tuo positam honori Divino Colocensem Basilicam: posuit STEPHANUS. Gloriaris vel ex eo de Strigonio, quòd id tuum in lucem Patrem dederit: dedit STEPHANUM; gloriaris inquam vel ex eo de Strigonio, quòd inde sumam quam habes in sacris Majestatem accipias: dedit STEPHANUS: dum fundatæ ære proprio nobilissimæ DE O

sanctis Ædi, tantum beneficii & amplitudinis contulit, ut summi ejusdem Gubernatores cum lectissimo quaternorum supra vicenos Virorum Canonicorum senatu æternam hic sedem haberent, suprema Sacrae Hungariæ dignitate uterentur. Congratularis Albæ Regali, quod dicatū ibi sumâ magnificentiâ DIVÆ VIRGINIS in Cœlum assumptæ Nomini templum magno tibi sit ornamento: dicavit STEPHANUS. Gloriosa deniquè ac jactabunda prædicas Hyerosolymis (Hungaria enim STEPHANÆÆ munificentia non suffecit) nobilissimum vel ipsò locò eorum, qui solitariam vitam ducunt, Claustrum; Constantinopoli Majestati Divinæ, Romæ Martyrum primo D. STEPHANO non indigna Regijs manibus extracta sana: hæc quoquè extruxit STEPHANUS. At quorsum hæc à me omnia AA? non ægrè opinor assequimini, quid velim: credere nimirū nequaquam possum bellis intentum fuisse eum, quem tot sacrarum Ædium (& quis profanarū negabit?) cōtinua structura Ædilem sapientissimū testatur; imò Vos ipsi, si añalibus creditis: singula videlicet à se extracta Tempa ternis añò quòvis vicibus vidisse STEPHANUM, cum non dico bellavisse, sed de indicendo cuiquam bello cogitasse negare debetis.

Etenim nusquam ille terrarum ullam gentem novit, quam uti & locò & singulari animi conjunctione propinquā habuit; ità ab omni in caput suum cōspiratione (quæ cōmūnis est Regum ruina) remotissimā non haberet. Mirum sanè, nè incredibile ac pene insòlitum dicam, videri debet, si advena perinde ac domesticus, peregrinus ut notus omni posito discrimine habeatur; attamen ut cūq; sit planum sit omnibus in Principe Pacis amantissimo STEPHANO: qui licet respectu Regni alienigena dici posset, ut quod peregrè advenientiū Avorum partum est viribus, pacatè tamen non minùs ac feliciter orbi peregrino dominabatur. Quid ità? quia scilicet sceptri sociam elegerit Tranquillitatem, fieri neutiquam potuit, ut nè tràquillè, ut nè pacatè moderaretur.

Nequè puto unum de omnibus, quos coràm intueor esse, quem ve ejus ex amplissimis Regni Hungariæ monumentis memoriã lateat, quò animò in feros scytharū mores fuerit STEPHANUS, quámq; vehementer eosdem detestatus sit. Non excefferat adhuc adolescentiæ ille años, cum, quantum Patris reverentia permittebat, immanem Hunnorum vivendi licètiã (id est: impia arma, quæ in culpa, & in vitæ integritate vacantes æquali certè aut nullò pensò exerebantur ab improbis) prorsùs viriliter perstringebat; nõndum diademate splendebant

bant tempora cum Religionis fervore accensus animus nisi nisi interitum, nisi funera scythica crudelitatis meditabatur. Et profectò sua hæc adolescentis studia Rex opere confirmavit. Erat enim: ut quorundam perditissimorū Cercyonis nepotum impudens audacia eò progressa sit: ut non solùm inaudita quadam grassandi importunitate horrendo sui terrore vias implerent, patriæ fines latrociniiis, rapinis prædia infestaret, verùm etiã iter faciētium sarcinis flagitiosè se se onerarent, imò manus profuso innocentissimorum cruore contaminarent, publicam verbò, contra expressum STEPHANI edictum, Tranquillitatem turbarent. Quid hic agat Regum sanctissimus? damnet scelera? obstabat cum læte jam hausta clementia; admoneat sicarios? desisterent ab hujusmodi vita, feritatē ponerēt, legibus se Divinis accommodaret; at quid potuissent verba, contra quos arma parùm valebant? quid ergo factum? vicit tandem Pacis amor: nefarii illi ex insidiis inavafores ad infames propter vias arbores damnantur, illustri sanè argumentò tanti publicam Tranquillitatem fuisse STEPHANO ut neque sanguini quisquis Pacis bonum eversum iret, modò per Divinas leges licuerit, parceretur. Quis jam dubitat vel strepitum armorum aspernatum non fuisse STEPHANUM, qui de hoc ipso immani tumultu scythicos ritus odit? quis Pacis eum Principem non dicat? cujus contentio, labor & industria sempererat: qua ratione Tranquillitatis impedimenta prohiberet, removeret, amoliretur.

Enim verò, ut præcipua ac maxima Pacis turbatio bella, quæ non Pacis obtinendæ gratiã suscepta sunt, semper fuere; ita singularis in his vitædis STEPHANI opera enituit. Hoc Rege crudelis Mars (ò quàm dignus exilio Mars) perpetuò exulavit; hoc Principe nullis bellorū incommodis attrita est Hungaria, sub jugo servitutis gemebat nunquã. Tua id Virtute D. STEPHANE factū Pañonia gloriatur. Pulchrum Poëtæ monitū: *Reges, florentia regna qui vultis servare diu, prohibete duella longè pulchriori opera prævenisti, cum Marone (ò quàm verè judicās: nullam bello salutem esse. Fingite enim AA. hoc ipsum Regnū, hanc Urbē bello involutam esse; quid, obsecro, præter terribiles visu formas lethu- què timorémq; videremus? quocúnq; enim oculos conjicias, quæ DEUM bonū! tristissima spectacula observatur? privatos si ausis obi parietes, mœstissimū domorū ploratū audies; luctantes cum vulnerum doloribus animas, truncata civium corpora fluētibus juxta lachrymis intuebere; egredere, si potes in publicū, spoliata ibi tuorū prædia, in-*

confas villas, fumantia recta, crepantes medias inter flamas aedes, infatibilem Vulcanum omnia, praeter dolorem & moerorem depascentem cernes, exultantem denique inter spolia, rapinas, caedes improbitatem triumphantemque videbis. Nunquam Tuus Rex sanctissime imperio his malis vexabatur Hungaria, haec talia expertam se dicere non audebit. Pacem igitur coluit STEPHANUS, qui bellum tantopere averfabatur.

At enim contra Cupam, Bulgaros, Teutones, imò contra Gyulam Avunculum bellum gessit, qui ergo abs te modò dicta sibi constant? at tu, qui istud objicis, meminisse debueras: de bellis, quae Pacis, publicaeque Tranquillitatis consequendae causam non suscipiuntur, me esse locutum. Dic igitur, quod bellum gessit STEPHANUS, quod non publicae Regni Tranquillitatis, atque felicitatis procurandae gratiam, quod non tuendae Christianae Religionis (quae Pacis ac felicitatis omnis est maximum & unicum fundamentum) suscepit? Cupa rerum potiundi cupidissimus horrari primum omnes bonos: à Regia fidelitate deficeret, secum in caput ejus conspirarent; novellos subinde Christi milites corrumpere, monereque: superstitionem (ita per summum scelus Fidem Romanam, quam nuper Hungaria amplexa est, vocitabat) abjurarent, detestarentur: mox ingenti potissimum subnixus multitudine velut amens quidam Orestes furere, pagis ac oppidis, quae Regi parebant vastitatem inferre, Regnum denique magna ex parte occupare. Hunc STEPHANUS bello devicit ac penitus profligavit. Extrema ditionis tantum vastabant Bulgari, ut solis pene ex Hungaria praedis vicitantes, hac vivendi, licet impia facilitate allecti, nihil praeter Hungariae directionem cogitarent; hos STEPHANUS armis repressit. Conradus Germanorum Imperator nescio quibus de causis cum validissimo suorum exercitu in Paenoniam irruit; occurrit STEPHANUS, hostem fudit ac dissipavit, Regno Tranquillitatem restituit. Gyula sacris Catholicis initiato STEPHANO iniquissime succensens, ubi acerrimis in Eum verbis, quod scythicos ritus odisset, invehitus esset, nec quidquam proficiens ad arma conversus, nulla sanguinis habitatione à Transylvaniae montibus praedonis more in subjectos agros cum suis effusus, dici non potest, quanta dispendia, quanta damna quotidianis rapinis Regno intulerit. STEPHANUS Princeps pietissimus Gyulam per Legatos admonet, obsecratque: immanitatem tandem exuat, vero DEO non idolis, non praedis adhaereat, impio demum, cui neque precibus, neque monitis resistere poterat, armis resistit. Bella hujusmodi gerere non *bellum sed Pacem* est amare.

re. Unde proinde tu Hectorem adversum me te objecturum sperabas, inde potius Achillem pro me collocasti. Volo dicere, eodem, quo meam oppugnare tentabas sententiam, argumento, eandem egregie firmasti.

Unum illud tantum superest ut (quoniam sanctissimum ac MARIANUM Regem nostrum eam vitæ rationem elegisse, electamque ad funus usque tenuisse non obscure vidimus; unde omnes recte sentientes facillime intelligant, omnem ejus diligentiam, studium, contentionem, laborem omnem ad id spectasse, non ut diffidiis, & quæ hinc nascuntur calamitosissimis certaminibus, sed Concordia, sed placidissimo eorum, cum quibus agebat animorum consensu Cælo Creditore Hungariæ Regnum administraret) super est inquam, ut Pacis eum Principem, cui Pax vita fuit, fateamur. Hoc quanto rariore, tanto optabiliore regnandi genere optimorum quorumque semper invida mors Principem quidem sanctissimum prohibuit; sed ita prohibuit, ut quamvis ex communi hac luce, qua omnes utimur, ereptus sit, optimam tamen Hæredem, ut pote dum viveret Regni consortem Pacem reliquam fecerit: posthuma licet, Paterni tamen in nos favoris, & emolumentis plenissima admonitione: nunquam rem Christianam majus accipere incrementum, existimatione & amplitudinem, quam dum ejusdem capita juxta ac membra paribus armis Paci ante omnia student, eamque non exteram, sed civem reputant, imò ut omnis prosperitatis Matrem habent, colunt, reverentur. Vivite itaque Magni Principis Magni Manes; atque ita vivite, ut in qua ille in Regnum hocce MARIANUM inducenda ac stabilienda tantopere desudavit Concordia, ea nos sub faustissimo ejus, suorumque Successorum patrocinio æternam fruamur.

D I X I. D I X I.

